impositionem novæ obligationis, ut fieri videtur, quando sponsalia jurata in dotem commutantur; et tunc dico novam obligationem imponi, et acceptari sub eadem firmitate, qua erat prior, et fieri virtualiter novum juramentum, et sic unum juramentum commutari in aliud, et idem est prorsus in voto. Et ita censeo esse interpretandam intentionem commutantium, nisi aliud expresse declarent: nihil enim repugnat quin aliquis, propter simplicem promissionem rei melioris, remittat promissionem juratam alterius rei.

12. *Satisfit aliis exemplis pro parte negativa adductis.* -- Ad alia exempla respondeo, in primo falsum assumi, nec illam sententiam Cardin. probandam esse; nam quando creditor prorogat terminum debiti jurati, non remittit juramentum quoad substantiam debiti; ergo si debitum ipsum erat antea debitum sub juramento, etiam postea manet sub eadem obligatione. Unde enim auferri potuit? maxime quia tunc juramentum non extenditur quoad materiam, nec mutatur, sed semper adhæret eidem materiæ; nec etiam tunc tollitur, sed differtur debitum juramenti quoad solvendum intra alium terminum, pro quo facta est prorogatio. Et in hoc vel est ibi quædam virtualis repetitio juramenti ex virtuali intentione contrahentium, quæ moraliter videtur nota, vel certe (et fere in idem redit) prior remissio non fuit absoluta, sed quasi conditionata in hoc sensu: *Permitto dilationem solutionis, dummodo hanc ipsam obligationem intra talem terminum impleas;* et ideo illud juramentum in fine secundi termini ita obligat, sicut obligaret in priori, non facta conditione.

13. *Declaratur responsio.* — Aliter etiam declaratur, nam qui juravit solvere intra certum terminum, et non solvit, ac violavit juramentum, non manet in posterum liber, sed semper juramenti vinculo urgetur, ut quamprimum solvat, sicut infra de voto dicemus; ergo licet beneficio creditoris suspensa sit illa obligatio usque ad alium terminum, in fine illius ac deinceps redit ejusdem juramenti obligatio. Unde ad hunc casum nullo modo applicatur decisio cap. *Clericus,* nam ibi fiebat extensio juramenti, hic autem potius fit coarctatio; nam juramentum solvendi intra decem dies strictius obligabat, et per prorogationem aliqualis fit remissio, non tamen integra, et ideo manet quoad reliqua. Et ita sentiunt communiter ibi expositores, Dec., Felin., et alii, quos sequitur Covar., p. 1, § 1, n. 6.

14. *Satisfit secundo exemplo.* —In secundo exemplo sentit idem Covar., facta prorogatione termini compromissi cessare obligationem, refertque alios idem sentientes. Et rationem differentiæ indicat. Quia obligatio jurata solvendi debitum intra certum terminum non extinguitur elapso termino, etiamsi non impleatur, ut nunc dicebamus; et ideo prorogato termino, eadem, et sub eodem vinculo perseverat. At vero obligatio compromissi extinguitur elapso termino, nam si tunc non proferatur sententia, non potest amplius ferri, nec partes tenentur ex juramento illi parere; et ideo quando fit prorogatio, censetur novum fieri pactum, et consequenter ad illud non extendi prius juramentum. Nihilominus tamen etiam in hoc casu existimo verius esse contrarium, imo tunc etiam teneri partes juramento ad parendum sententiæ latæ intra terminum prorogatum. Quæ est communior sententia, ut ibidem refert Covar., et latius Anton. Gab., lib. 2 Commun. opin., tit. de Dilation., concl. 2, n. 11 et sequentibus, qui et ipsum hoc sequitur; et Covar. ipse non constanter in contraria sententia persistit, sed vel in utramque partem ancipitem, vel in hanc magis propensum tandem se ostendit. Ratio est, quia cum fit prorogatio compromissi, non fit novum pactum in substantia, sed illud idem differtur pro majori tempore, et ideo totum ipsum, prout antea erat, juramento vestitum prorogatur, quia nulla est ratio separandi pactum a juramento, nec est impossibilitas in utriusque continuatione, cum ibi non fiat extensio juramenti ad novam materiam, sed continuatio ejusdem circa eamdem materiam continuatam. Nec videtur esse alia intentio prorogantium, nec præsumi potest, nisi evidenter illam declarent; maxime, quia cum juramentum adhæreret promissioni tanquam accessorium principali, prorogato accessorio, censetur accessorium illud comitari, nisi speciali intentione separetur.

CAPUT XXXVII.

AN IN JURAMENTO IMPLENDO LICEAT COMPENSATIONE UTI?

1. *Compensatio et æquivalens solutio in quo differant.* — Hæc difficultas petitur in secundo argumento superiori capite proposito; habetque locum, quando compensatio fit sine consensu partis, vel dispensatione justa superioris; nam si aliquid istorum intercedat, nulla est difficultas quin liceat, ut patet ex dictis in superiori puncto. Compensatio autem in hoc differre videtur a solutione per æquivalens, quod in hoc modo solutionis, quando fit sine consensu creditoris, non supponitur aliqua justa vel apparens causa ex parte creditoris, sed debitor sola sua voluntate facit commutationem; at vero in compensatione supponitur aliqua ratio ex parte ejus cui factum est juramentum, quia licet sub ea ratione sit creditor, sub alia supponitur esse debitor, et ut sic, dare causam justam compensationi.

2. *Opinio Bartoli.* — Propter hoc ergo dicunt aliqui, posse juramentum impleri per æquivalentem compensationem. Ita tenet Bartol., in leg. *Amplius,* ff. Rem ratam haberi. Probat primo, quia compensatio est quædam solutio, leg. *Si peculium,* § 1, ff. de Statu liber.; et ideo cui mandatur aliquid sub tali conditione, censetur illam implere compensando, quamvis alias teneatur illam implere in forma specifica, leg. *Qui hæredi,* leg. *Mœvius,* ff. de Condit. et demonstrat.; ergo idem erit in juramento. Secundo, quia cum mihi debes, et non solvis, me impedis ut, licet sim tibi debitor, non solvam; sed qui juste impeditus non solvit, etiamsi sub juramento teneatur, non est perjurus, quia juste excusatur a solutione, ut in simili dicitur in leg. 3, versi. *Idem quæritur,* ff. de Statu liber.; ergo. Tertio possumus argumentari, nam is, qui sub juramento interrogatur an mutuo receperit decem, quæ jam solvit, sed probare non potest, sine perjurio respondet non recepisse, quia per quamdam compensationem perinde est recepisse et solvisse, ac non recepisse; ergo in juramento assertorio, juxta capacitatem ejus, datur locus compensationi; ergo etiam admittenda est in promissorio.

3. Et hanc Bartol. opinionem sequuntur frequentius Legistæ, ut Covar. refert, et interdum indicat Panorm., c. *Cum dilectus,* de Ord. cognit., n. 23, et in c. *Cum inter,* de Except., num. 25, qui his locis solum per occasionem commemorat doctrinam Bartol., et rem non expendit, et in priori loco sentit contrariam esse tutiorem. Hanc vero esse in conscientia securam dicit Sylvester, *Juramentum,* 4, quæst. 27; et Angel., *Juramentum,* 4, n. 4, dicit esse opinionem de jure veriorem. Idem Tabien. verb. *Jurare,* num. 24; sequitur Azor, tom. 1, lib. 11, c. 8, quæst. 10, et reddit rationem, quia qui promittit alteri decem, videtur subintelligere conditionem: *Si tu mihi alia decem solveris, quæ debes.* Latius hanc opinionem comprobat Covarruv. supra, 1 part., § 4, num. 9 et 10.

4. *Canonistarum opinio.* — Contraria sententia est communis Canonistarum, in c. *Ad audientiam,* 1, de Jurejur., ubi Innoc., Hostiens., Joan. Andr., Anton., Felin, et alii, quibus plures alios addit Covar. supra, et eos sequitur Tiraquel., referens alios, lib. primo de Retract., § 3, glos. 3, n. 6; Anton. Corset., tract. de Juramento, n. 39, et Marc. Anton. Baver., eod., n. 40, licet in fine videatur contrarium sustinere. Constantius hanc opinionem defendit, plures Doctores allegando, Guttier., p. 3, de Juramento confirmatorio, c. 6. Probatur primo ex c. *Ad nostram,* 1, de Jurejur., ubi qui pecuniam mutuo accipit dato pignore, cum juramento non recipiendi pignus, donec pecuniam solverit, obligatur ex vi juramenti ad solvendam pecuniam, priusquam pignus exigat, nulla facta compensatione, nec in totum, nec in parte fructuum ex pignore perceptorum a mutuatario. Cujus responsi non potest esse alia ratio, nisi quia juramentum est implendum in forma qua factum est absque compensatione; quem textum censuerunt expressum canonistæ.

5. Dicunt vero aliqui, quando juramentum ita est factum, ut in eo sit satis expressum, quod fiet integra formalis solutio, priusquam de ulla compensatione tractetur, tunc non esse locum compensationi, nec de hoc esse quæstionem; sed priorem opinionem loqui, quando simpliciter fit juramentum de solvendo tanto debito; in d. autem cap., juramentum esse factum priori modo, ut colligitur ex illis verbis: *Ipsos juramenti religione astringens, quod super illis* (utique pignoribus) *donec solverent sibi pecuniam, nullum ei gravamen inferrent.* Sed ex his verbis non potest inferri, in illo juramento propter specialem formam ejus non licuisse prius compensare fructus, quam traderetur alia pecunia, nam hoc non erat gravamen super ipsa pignora, et solum juratum fuerat, *non inferre gravamen super illis.* Nec refert quod ibi dicitur, possessiones et redditus data esse in pignora, nam ut bene Covar. probat, et est evidens ex contextu, per redditus ibi non intelliguntur fructus, sed jura, seu census, quæ inter immobilia bona computantur, et fructificant, ut ibidem supponitur; ergo juramentum solum fuerat de non inferendo gravamine super hæc immobilia bona, donec soluta esset pecunia mutuo accepta; ergo censetur hoc juramen-

tum sufficere ad excludendam compensationem.

6. Alii, præsertim Covar., respondent, præcipi, fieri prius solutionem sine ulla compensatione, quia non erat liquidum aliquid ex fructibus fuisse perceptum, et liquidi ad non liquidum non recte fit compensatio, leg. ult., C. de Compensat. Sed contra hoc est, quia etiamsi non esset liquidum, potuisset ante solutam pecuniam ratio exigi perceptorum fructuum, per quam clare constaret de perceptis, deductis expensis, et in illis fieret compensatio, et de residuo tantum fieret solutio. Neque in hoc fieret contra peculiarem formam illius juramenti, quia nullum gravamen inferretur super pignoribus, sed tantum super fructibus, vel certe non posset dici gravamen ratio juste postulata ; nam, ut recte probat Covarr., verba illa in rigore de injusto gravamine intelliguntur. Et nihilominus Pontifex hoc non admittit, sed mandat prius solvi debitum integrum realiter ac formaliter, et postea restitui, quod ultra sortem acceptum esse constitisset ; ergo.

7. *Cap.* Debitores. — *Cap.* Si vero. — Secundo argumentari possumus ex c. *Debitores*, et c. *Si vero*, de Jurejur. Nam si in juramento persolvendo haberet locum compensatio, sequeretur, eum, qui usurario vel latroni promisisset solvere usuras, vel pecuniam, non teneri postea realiter, et cum effectu solvere, sed posse compensationem facere; consequens est contra illa jura ; ergo. Sequela patet, quia, ut dicitur in lib. 3, ff. de Compensat., ideo compensatio necessaria est, quia interest nostra potius non solvere, quam solutum repetere. At qui promisit usurario aliquid extra sortem, si illud solvat, potest postea repetere, etiamsi id juramento firmasset; ergo potest etiam antèa compensare non solvendo, sed quasi anticipare, retinendo quod postea recuperaturus est. Dicetur forte usurarium nondum esse debitorem, donec ei solvantur usuræ, et ideo non esse locum compensationi, sed prius esse solvendas juratas usuras. Sed contra, nam imprimis jam est facta injuria exigendo illarum promissionem ; ergo licet illam injuriam compensare, non solvendo promissum realiter. Deinde si promissio illa simpliciter facta fuisset sine juramento, liceret ex vi justitiæ compensationem facere non solvendo ; ergo potest dari anticipata compensatio justa ; ergo si juramentum ex se non excludit compensationem, etiam in illo casu licebit ea uti.

8. Tertio, possumus argumentari ex dictis in præcedenti capite, quia juramentum non impletur reddendo æquivalens, sed oportet solvere idem quod promissum est ; sed si fiat compensatio, non solvitur idem, sed æquivalens ; ergo. Minor videtur nota, quia remissio debiti, vel collatio novæ pecuniæ non sunt idem, imo vix existimantur æqualia, moraliter loquendo, et secundum communem æstimationem. Unde in debitis privilegiatis (ut sic dicam) non admittitur compensatio, ut in deposito et similibus, et in debitoribus regis non solet admitti, sed prius coguntur solvere quod debent, et postea datur locus petendi ; ergo signum est solutionem et compensationem non esse idem, nec omnino æquivalens ; ergo si juramentum non impletur solvendo æquivalens, multo minus implebitur compensando.

9. *Prima conclusio.* — In hoc puncto, quod ad forum conscientiæ spectat, totum pendet ex intentione jurantis, ut egregie notavit Medin., C. de Restit., quæstion. 3, caus. 12. Unde dicendum est primo : si quis ita juraverit, ut intenderit vere et realiter solvere, nulla facta compensatione, non potest postea compensare. Probatur, quia hoc exigit veritas juramenti, et licite impleri potest ; ergo servandum est. Dicit tamen Panormit., in d. c. *Ad nostram*, in fine, tale juramentum ex ea parte, quæ est de non facienda recompensatione, posse relaxari, quia non habet justam causam ex parte exigentis. Sed hoc ad summum habet locum, quando is, cui tale præstatur juramentum, illud exigit in mutuo præstando, vel in alia simili occasione, quæ violentam quamdam exactionem contineat. At vero si fiat sponte, et mere liberaliter, nullam habet turpitudinem ex parte acceptantis, neque occasionem relaxationis. Et in hoc casu maxime procedit opinio canonistarum.

10. *Secunda conclusio.* — Dico secundo : qui juravit dare aliquid cum intentione reservandi sibi potestatem compensandi, vel remittendi simile debitum, non tenetur realiter exhibere quod promisit, sed potest recompensare, etiamsi in verbis nihil expresserit præter formalem promissionem ; imo neque etiam peccavit cum tali intentione promittendo. Probatur prior pars, quia juramentum non obligat nisi juxta intentionem, sub qua fit ; sed in eo casu promittens non intendit jurare præcisam solutionem, sed extendendo illam ad compensationem, vel remissionem æqualis debiti ; ergo non amplius obligatur. Unde probatur facile secunda pars, nam licet in verbis non fiat hæc declaratio, verbum ipsum dandi vel solvendi est capax hujus amplæ significationis, ut probant argumenta prioris sententiæ ; ergo si intentio jurantis conformatur illi significationi, juramentum non plus obligat. Et inde facile patet ultima pars, quod hac intentione jurare nullum sit peccatum, quia nec continet injustitiam, ut per se notum est, quia compensatio supponitur justa, nec continet mendacium, quia verba sunt capacia illius significationis. Et maxime quia illa significatio est juri conformis ; quia licet compensatio dicatur ficta solutio, nihilominus secundum jus pro solutione habetur, ut constat ex Leg. 4, § *Solvisse*, ff. de Re judic., leg. 1, cum multis aliis, ff. de Compensat., et cod. eodem ; sed qui jurat promittendo, potest sine peccato uti verbis juxta sensum jurium; ergo.

11. *Tertia conclusio.* — Dico tertio : qui jurat simpliciter promittendo tantum pecuniam, nihil de reali traditione vel compensatione cogitans, potest tuta conscientia juramentum solvere, recompensationem faciendo, quando in eadem specie rei debitæ ac promissæ fieri potest, et rationabilis causa intercedit, et debitum liquidum est. Hanc assertionem præcipue videntur intendere Bartol., et qui eum sequuntur, et in eodem sensu videtur dixisse Sylvester, esse tutam in conscientia illam sententiam, et in eodem illam approbat Molin., disp. 560, de Justitia ; et idem sensit Medin. supra. Probatur, quia verba juramenti interpretanda sunt in sensu proprio et commodo juramenti, ita ut restringant potius quam extendant obligationem juramenti, juxta principium supra probatum. Quod maxime locum habet, quando significatio verborum est consentanea juri et non continet aliquam turpitudinem, nec injustitiam, et ex materia vel circumstantiis alia intentio vel significatio non colligitur ; sed in præsenti casu hæc verba : *Dabo tibi decem*, habent hunc legitimum sensum juri, et moribus hominum consentaneum : *Gratiose conferam decem, vel illorum gratiam faciam*, sive per novam traditionem, sive in virtute antiquæ ; ergo quocumque modo talis gratia fiat, impletur juramentum. Et similiter si cum recipio mutuatam pecuniam, juro solvere, recte nomine solutionis intelligitur quælibet satisfactio sufficiens, ut tollatur debitum ; vel certe, et in idem fere redit, ibi subintelligitur conditio : *Si tempore solutionis faciendæ debitor illius extitero, vel nisi alio modo pro illo satisfecero.* Et patet, quia ibi subintelligitur hæc conditio : *Nisi tu remiseris*, quia per illam remissionem tollitur debitum ; ergo etiam subintelligitur omnis conditio tollens debitum ; talis autem est justa recompensatio ; ergo impleta hac conditione cessat obligatio juramenti, et consequenter impletur. Confirmatur ex capit. *Ex parte*, secundo, de Cleric. non resid., ubi qui juravit residere, censetur implere juramentum, etiamsi sit absens propter jus præbendæ tuendum. Quod videtur niti in quadam juridica verborum interpretatione, quæ quamdam includit compensationem.

12. *Quæ res simpliciter, et quæ moraliter ejusdem rationis censeantur. — Quæ res inter se recipiant functionem, et quæ non.* — Tres vero limitationes in conclusione insinuavi. Una est, ut hæc compensatio locum habeat, quando res ab uno promissa, et ab altero debita, sunt ejusdem rationis, vel simpliciter, vel secundum moralem æstimationem. *Simpliciter* voco, ut si promisi pecuniam, et alter debet pecuniam. *Moraliter* vero, si promisi tibi decem aureos, et tu mihi debes triticum aut oleum ejusdem valoris, et in universum possunt hujusmodi censeri res illæ, quæ inter se recipiunt functionem, id est, quia una potest fungi vice alterius, quales esse censentur, quæ in numero, pondere et mensura consistunt, ut dixit Panorm., in cap. ult., de Deposito, n. 12. In his ergo rebus procedit assertio posita ; non vero quando res sunt diversarum rationum, et inter se non recipiunt functionem, ut si promisi sub juramento equum, et tu pecuniam debes ; tunc enim non implebitur juramentum per compensationem, per se loquendo, et ex vi verborum. Ratio est tacta in tertio argumento pro secunda sententia, quia juramentum debet impleri in propria specie ; quando autem res inter se non recipiunt functionem, compensando non impletur juramentum in propria specie, ut per se constat ; ergo. Item si creditor respectu promissionis equi non esset alias debitor pecuniæ, non posset cogi ad accipiendum denuo pecuniam loco equi ; ergo nec potest cogi ad recipiendum per compensationem pecuniam prius acceptam, quam debebat ; nam est eadem vel major ratio. Secus vero est, quando res functionem recipiunt, quia tunc impletur juramentum in propria specie quoad rem solutam, quia est ejusdem rationis, ut declaratum est. Et licet modus solvendi videatur diversus a reali solutione de præsenti, censetur suffi-

ciens, non propter aliquam commutationem rei promissæ in aliam æqualem, sed quia illa diversitas est materialis, et moraliter censetur eadem solutio, et æque comprehensa sub verbis juramenti. Neque limitatio hæc censenda est extra mentem auctorum prioris opinionis, nam cum compensationem admittunt, eo ipso intelligunt debere fieri inter ea, quæ jure compensabilia sunt: jure autem non sunt compensabiles res diversarum rationum, invito altero creditore, ut Panormitanus supra tradit. Et censeo in conscientia esse verum, per se loquendo, propter rationem supra factam, quia nemo potest cogi alienare, vel carere re, quam in propria specie possidet, vel possidere potest, ac debet. Maxime vero hoc habet locum in juramento, nam si quis juravit facere aliquid alteri, qui sibi est debitor pecuniæ, non potest recompensare, quia debet implere juramentum in propria specie; ergo idem est in similibus.

13. *Quæ sit rationabilis causa compensationis.* — Altera limitatio a nobis posita fuit, si rationabilis causa intercedat, utique ad faciendam compensationem invito creditore; nam intra latitudinem justitiæ hæc conditio necessaria est ad compensationem faciendam juste, ac sine culpa, præsertim propria auctoritate, ut ex materia de Justitia constat. Est autem hujusmodi causa, quando solvendo debitum proprium, timeo jacturam rei mihi debitæ, quia non spero alium soluturum, vel alia similis; ergo quando promissio dandi vel solvendi facta est sub juramento, etiam ipsum juramentum obligat ad solvendum realiter, quando nulla causa rationabilis intervenit ad faciendam compensationem. Probatur consequentia ex alio principio, quod juramentum censetur fieri juxta exigentiam et naturam actus, cui adjungitur; sed natura debiti et promissionis hæc est, ut simpliciter ac pure solvatur, ut debetur proprio titulo et modo, nisi rationabilis causa cogat ad faciendam compensationem; ergo ita intelligendum etiam est juramentum. Atque hæc limitatio maxime necessaria videtur, quando compensatio fit inter res diversæ speciei, etiamsi moraliter compensabiles sint, et functionem recipiant; ut si juravi dare tibi triticum, et mihi debes pecuniam, non licet compensare sine causa te invito, quia fortasse indiges tritico, et paratus es solvere pecuniam. Denique hoc pertinet ad reverentiam juramenti, ut ad litteram (ut sic dicam) impleatur, cum commode possit.

14. Tertia limitatio est, ut debitum, cum quo fit recompensatio, sit liquidum, quam omnes Doctores supponunt, quia et in jure est expressa, l. ultim., C. de Compensat., cum similibus, et quia ratione naturali constat esse necessariam ad justitiæ æquitatem, et consequenter etiam ad juramenti veritatem. Unde etiam constat, quando juramentum est de solvendo intra certum terminum, et debitum alterius non urget intra illud tempus, tunc non esse locum compensationi; quia juramenti solutio non potest differri ultra præfixum terminum, nec alter cogi potest ad anticipandam sui debiti solutionem. Et facit lex Quod in, ff. de Compensat., ubi dicitur: *Quod in diem debetur, non compensabitur antequam dies veniat, quanquam dari oporteat.*

15. Alii addunt limitationem, nisi promissio sub juramento facta sit homini debenti, et cum de debito constaret juranti; nam tunc tacite videtur renunciare recompensationi, et jurare animo faciendi solutionem, et non utendi compensatione. Ita Guttier., n. 6, § *Retenta*, cum aliis, quos refert. Unde sentiunt, quando debitum ex parte ejus, cui facta est promissio jurata, ortum est post factum juramentum, fieri posse compensationem juxta Bartoli opinionem; quando vero debitum præcessit, et eo non obstante creditor jurat dare centum suo debitori, non licere compensare; et ita esse limitandam assertionem nostram, propter conjecturam factam, quod ille, cum juret non obstante debito, censetur intendere re ipsa solvere, et non compensare, et hoc totum jurare. Sed si attente consideretur, hæc non est limitatio, sed præsumptio quædam, probabilis quidem in foro externo, tamen parum referens ad forum conscientiæ, de quo tractamus, quia in illo veritas intentionis spectanda est. Unde si revera intentio solum fuit simpliciter faciendi alteri hanc gratiam, et non fuit cogitatum de renuncianda compensatione, eadem doctrina procedit, neque habet locum præsumptio. Et ideo Medin. supra dixit assertionem procedere, sive alter esset debitor juranti tempore juramenti, sive postea factus sit debitor. Et sequitur Molin. supra.

16. Tandem addunt limitationem, ut solum hoc liceat, quando debitor non habet alias unde solvat, nisi recompensando, nam tunc maxime procedit secunda ratio Bartol., quod tunc debitor virtute juramenti a suo creditore, quatenus alias est debitor, constituitur in eo statu, in quo non potest in propria specie solvere, vel simpliciter, vel sine

magno onere et difficultate, quod satis est ut juramento non obligetur. Si autem jurans, non obstante debito alterius, potest facile realiter solvere, debet solvere. Ita Guttier., supra, n. 8, citans Matth. de Afflict., et plures alios, et hoc esse tutius dicit Gregor. Lop., in l. 20, tit. 14, p. 5, Gloss. 1. Verumtamen limitatio nimia est, et extra propositum quæstionis, nam in eo casu non tam id licet propter compensationem, quam propter impotentiam. Unde quamvis sic jurans non esset constitutus in illa necessitate propter debitum ejusdem creditoris, sed propter debitum alterius creditoris, qui non solvit, excusaretur a solutione debiti jurati, quamdiu alius tertius non solveret, vel aliunde ad pinguiorem fortunam non veniret. Ergo si tantum titulo necessitatis posset hoc fieri, non esset solutio, sed excusatio, et ita semper debitum maneret, et veniens ad statum, in quo posset facile implere juramentum, teneretur, etiamsi alter suum debitum non redderet. Assertio igitur intelligenda est per se, et ex vi sensus juramenti, ut probatum est, non ratione necessitatis tantum; et secunda ratio Bartoli parum probat.

17. *In foro etiam externo admitti potest compensatio pro solutione debiti jurati.*—Ultimo, pro foro externo addendum est, etiam in illo admitti posse compensationem pro solutione debiti, seu promissi jurati, ubi manifeste constiterit non fuisse per juramentum exclusam compensationem, neque hanc fuisse intentionem jurantis; ubi autem hoc non constiterit, sed potius contraria fuerit præsumptio, aut saltem res fuerit dubia, non admitti compensationem per se loquendo. Juxta hanc assertionem interpretor opinionem Canonistarum. Et prior pars comprobari potest ex d. c. *Ex parte*, 2, de Cleric. non resid. Colligi etiam potest ex d. c. *Ad nostram*, 1, in illis verbis: *Licet autem de possessionibus illis et redditibus, nondum sortem, deductis expensis, receperit.* Nam per hæc significatur, ideo illum mutuantem fuisse injuste excommunicatum, et pignoribus privatum, quia nondum sortem, deductis expensis, receperat; ergo a contrario sensu, si constitisset sortem recepisse, merito excommunicari potuisset, nisi pignora redderet, sorte contentus; ergo supponitur in eo casu admittendam fuisse compensationem. Ratione item probatur, quia hoc est consonum naturali justitiæ, et nullibi prohibetur, nec in re ipsa est contra juramentum, ut ostensum est; cur ergo non admittetur in externo foro ecclesiastico, si veritas sufficienter probari possit?

18. Altera vero pars probari etiam potest ex d. cap. *Ad nostram*, in decisione ejus; in casu enim illius textus censuit Pontifex, non fuisse admittendam compensationem, non quia illa semper sit juramento contraria, id enim non potest ex illo textu colligi; sed quia licet non esset certum, juramentum fuisse factum de non facienda compensatione, poterat tamen esse dubium. Et illa verba: *Ipsos juramenti religione astringens, quod super illis, donec solverent sibi pecuniam, nullum ei gravamen inferrent*, ambigua saltem erant, de quo gravamine, et an de pignoribus tantum secundum se, vel etiam ratione fructuum essent intelligenda; et ideo in dubio tanquam securius judicatum est, ut fieret prius realis solutio. Et in hoc sensu recte inde probatur assertio in ecclesiastico foro. Et ratio ejus est clara, quia judicium Ecclesiæ in his, quæ pertinent ad bonum animæ, et ad religionem juramenti, semper sequitur in dubiis tuticrem partem. Et in hoc sensu est valde probabilis prima expositio supra data, quam sequitur Medina supra; ipse vero putat non fuisse rem dubiam, sed certam, quod per juramentum illud fuerit renunciatum compensationi. Mihi tamen non videtur certum, satisque esse, ut fuerit dubium, et quod gravis esse posset præsumptio, quod in eo sensu fuerit juratum, ut in foro Ecclesiæ non admitteretur compensatio.

19. Addo etiam juvare secundam expositionem supra datam, si recte explicetur, scilicet, ibi non fuisse locum compensationi integræ, quia non liquido constabat de quantitate fructuum percepta ex pignoribus, deductis expensis; constabat autem (ut in textu aperte supponitur) non fuisse integram solutionem ex fructibus factam. Et ideo non constabat quid esset addendum ad integram debiti solutionem, et ideo merito jussum est integrum debitum solvi, et postea compensationem exactam fieri, et excessum restitui. Nec oportuit prius fructuum perceptorum rationem exigere a mutuante, quam illi fieret solutio, quia hoc gravamen videbatur juramento contrarium. Et ita ex utroque sensu unus perfectus consummatur. Si autem constaret de certa aliqua quantitate ultra sortem recepta, deductis expensis, et a mutuante consumpta, ut facile constare posset saltem per confessionem mutuantis, non credo fuisse contra juramentum, nec contra sententiam Papæ in illo textu,

illam quantitatem computare in partem solutionis, et pecuniam superaddendo consummare solutionem, nam tunc sufficienter videretur completa conditio a Pontifice posita: *Donec ei pecunia persolvatur;* et ideo possent ab illo pignora recuperari. Et nihilominus postea posset de fructibus perceptis exacta ratio postulari, ut si quid ultra sortem superesset, restitueretur.

20. *Satisfit rationibus primæ et secundæ opinionis.* — Ad rationes duarum opinionum, quas retulimus, non est necesse responsionem addere. Nam prima ratio Bartoli probat nostram secundam et tertiam assertionem, et non obstat primæ, quia licet compensatio sit quædam solutio, nihil obstat quominus possit quis se obligare ad non utendum illo modo solutionis. Secunda vero ratio licet in se non sit admodum efficax, nihil tamen obstat, sed juvat ad honestandum talem solutionis modum, quoties rationabilis causa intervenit. Tertia item ratio confirmat nostram tertiam assertionem, et aliis non obest. Ex motivis autem alterius sententiæ, c. *Ad nostram* satis explicatum est.

21. Ad secundam autem ex c. *Debitores*, respondetur, in promissione solvendi usuras non esse locum compensationi ex vi injustitiæ, quæ in tali exactione ab usurario committitur, quia cum ante promissionem nullum supponatur debitum, nec ex vi promissionis contrahatur, donec realis fiat solutio, non habet locum compensatio ante solutionem, quia si non est debitum, non est compensatio. Facere autem compensationem quasi antecedenter, aperte est contra formam et intentionem talis juramenti, quia, non obstante injustitia, exigitur et juratur solutio; ergo excluditur compensatio cum eadem injustitia. At si usurarius alia via esset vel fieret debitor mutuatarii, fortasse posset tunc fieri compensatio cum alio debito, et illo modo impleri promissio usurarum. Quod facile concedit Molina supra. Ego vero multum dubito, quia tunc non habet locum compensatio quoad veram debiti remissionem, quia revera mutuatarius non remittit debitum, quia non valet remissio facta ultra sortem, et solum propter mutuum, nam semper mutuans tenetur solvere et restituere. Nec etiam exterius recompensat, quia nihil de novo tradit; supponitur enim alias acceptum; ergo ad implendum tale juramentum necessarium videtur saltem materialiter donare, nam de hoc præcise fieri videtur. Ad tertium jam declaratum est quomodo in compensatione non fiat commutatio in æquivalens, sed res promissa solvatur modo comprehenso sub juramento, et intentione jurantis.

CAPUT XXXVIII.

UTRUM JURAMENTUM PROMISSORIUM IRRITARI POSSIT?

1. Hactenus explicuimus obligationem juramenti promissorii, nunc de modis auferendi talem obligationem dicendum est. Prius tamen necesse est nonnullos terminos distinguere et breviter explicare; nam aliud est juramentum certo non obligare, aliud obligationem ejus quasi sponte sua, seu ipso facto cessare; aliud obligationem impleri, et ideo jam non durare, aliud vero obligationem ejus esse dubiam, vel a principio, vel per discursum temporis propter aliquam accidentalem mutationem; aliud item est eamdem obligationem certam ab una re in aliam transferri, seu commutari, aliud vero obligationem semel contractam, et ex se durantem tolli, sine ulla solutione ejusdem, vel æquivalentis rei. Dicitur enim juramentum non obligare, quando a principio nullum est; quod quando, et quibus modis et causis contingat, in superioribus latissime explicatum est, et pauca inferius addemus. Juramenti autem obligatio cessare dicitur sponte sua, quando a principio obligavit, et postea per rerum mutationem evacuatur obligatio, et hoc etiam explicatum est. Quod autem per solutionem rei promissæ impleatur veritas juramenti, et consequenter extinguatur obligatio, per se notum est; modus autem solutionis in præcedenti capite satis explicatus est. Ubi etiam declaratum est, quando et quomodo liceat commutatio; et simul explicatum est quomodo prior obligatio quasi individua cesset, et alia loco illius inducatur, de cujus observantia, duratione, et solutione idem judicandum est, ac si de illa materia in principio esset juratum. Pro casu vero, in quo juramentum est dubium, non tam dispensatio quam interpretatio necessaria est, de qua supra dictum est, ad quem pertineat.

2. *Quot modis juramenti obligatio tollatur. — Juramenti dispensatio quomodo differat ab ejusdem relaxatione.* — Igitur de solo ultimo puncto dicendum superest, an scilicet, et quomodo possit tolli obligatio juramenti, quando nec per se cessat, nec impletur formaliter, nec virtute, nec per æquivalens. Distingui autem solent varii modi tollendi hanc obligationem

quos nos ad quatuor reducimus, scilicet, irritatione, condonatione, dispensatione et relaxatione, ex quibus irritatio et dispensatio communes sunt voto, et ideo ibi de illis dicendum est ex professo. Nunc solum supponimus, in juramento irritationem fieri ex parte materiæ propter potestatem dominativam, vel quasi dominativam: dispensationem vero fieri ex parte ipsius obligationis, tollendo illam per potestatem jurisdictionis in ipsam personam. Condonatio autem et relaxatio specialiter tribuuntur juramento, et videtur condonatio esse quædam irritatio; proprie vero dicitur, quando obligatio a creditore remittitur, et ita propria irritatio erit, quando sine consensu creditoris fit ab alio habente potestatem. Præterea relaxatio interdum videtur sumi in significatione generali pro quacumque ablatione vinculi juramenti, interdum vero cum dispensatione confunditur, potest vero speciali modo sumi pro determinato modo relaxationis, seu dispensationis. Dispensatio enim et relaxatio stricte sumpta possunt ita distingui, ut dispensatio dicatur, quando ad auferendum vinculum juramenti solum spectatur potestas in personam jurantis cum causa ex parte ejus; relaxatio vero, quando causa potissime attenditur ex parte ejus, cui juramentum factum est. Unde dispensatio proprie locum habet in juramentis, quæ per modum voti soli Deo, seu absolute fiunt; relaxatio autem in juramentis promissoriis homini factis. Quæ distinctio juramentorum est in hac materia præ oculis habenda, nam juramentum, quod fit per modum voti, soli Deo fit, vel solum illum respicit in obligatione sua; juramentum autem, quod fit homini, pendet ab illo, nam ad illum dicit specialem habitudinem. Ex qua differentia oriuntur multæ in modo tollendi obligationem utriusque juramenti, ut notavit Cajetanus, dict. art. 9, et ex discursu sequentium capitum patebit. In hoc ergo de irritatione, in sequentibus de aliis dicemus.

3. *A quo relaxari possit vinculum juramenti.—Quid sit reale, quid personale juramentum.* — Respondeo itaque vinculum juramenti per irritationem auferri posse ab habente potestatem. Assertio est communis et clara, quia sæpe materia juramenti pertinet ad dominium, vel jus alterius; ergo si ipse ratum non habeat juramentum, et illi contradicat, eo ipso cessat obligatio juramenti, imo juste impleri non potest, et hoc est irritari. Consequentia patet, quia juramentum obligare non potest in præjudicium tertii, ut supra ostensum est; ergo si ejus materia est sub jure alterius, non potest obligare illo contradicente. Antecedens vero intelligitur facile distinguendo duplicia juramenta, sicut et vota vel promissiones distingui solent: quædam juramenta dici possunt realia, alia personalia. Realia dicuntur, quando versantur circa dispositionem, vel alienationem, aut donationem rerum externarum; ut cum juro dare decem aureos, vel triticum, vinum, et similia fortunæ bona. Personalia dicuntur, quando sunt de solis actionibus personæ, ut si juro servire, adesse, vel abesse tali loco, studere, vel similia. Contingere ergo potest ut, qui facit juramentum reale, non habeat potestatem disponendi de re promissa, quia est sub dominio vel principali administratione alterius, et ea ratione poterit irritari juramentum ab habente potestatem in talem rem. Simile cum proportione accidit in actionibus, nam potest quis actiones suas habere ita subjectas, et dependentes a voluntate alterius, ut non possit eas licite exercere, vel de illis disponere contra voluntatem ejus: et inde fiet ut, licet sub juramento suas operas promittat, irritari possit juramentum a domino, vel superiori, a quo in suis actionibus pendet.

4. *Juramentum irritari potest a domino et a patre sine speciali causa; non ita tamen a superiori.* — Sequitur primo, ad hanc irritationem non esse necessariam specialem causam, sed sufficere jus vel dominium circa talem materiam, ut aliquis, utens jure suo, illam subtrahat et prohibeat, et consequenter juramentum irritet. Est autem hoc intelligendum cum proportione ad potestatem, nam si illa si mere dominativa, ut est domini in servum, vel suo modo patris in filium, nulla causa requiritur, sed sufficit potestas utendi jure suo; si vero sit potestas jurisdictionis, seu administrationis, requiretur causa sufficiens ad prohibendam actionem, vel dispensationem rei juramento promissæ, quia hoc necessarium est ut prohibitio sit valida. Præter hanc vero non requiritur aliqua causa ex parte juramenti, prout concernit personam jurantem, vel cui juramentum præstatur, quia respectu illarum fit irritatio, quasi per absolutam et dominativam potestatem, nulla habita ratione conventionis illarum. Quæ omnia in materia de Voto latius explicanda sunt, et statim exemplis declarabuntur.

5. *Summus Pontifex et Prælati ratione materiæ multa irritare possunt juramenta.* — Secundo sequitur, posse Pontificem hoc modo